

## GELASIUS PP. († 496)

TRACTATUS DE DUABUS NATURIS ADVERSUS EUTYCHEN  
ET NESTORIUM

**1380** 2. Nam quum pari blasphemia utraque pestis insaniat, in conceptu scilicet Virginis sacrae atque ipso primordiali vel initiali Domini Salvatoris exortu, qui in visceribus intactae matris, cessante terreni patris officio, divina sumpsit operatione principium, materiam conditionis humanae de substantia genitricis instituens, et unionem divinae potentiae dignatione suae maiestatis impertiens, ut utriusque naturae ineffabiliter unitio ab ipso suae conceptionis exortu mirabiliter ac potenter exsisteret: nec in sanctae Mariae prorsus internis istius sacramenti quicquam vel praecesserit vel post secutum fuerit institutum, sed huius magis simul effectum mysterii conceptus ipse praevenerit, nec illic aliqua praeveniente substantia perfectio unionis accesserit, sed ab unione perfecta potius utriusque substantiae fuerit inchoatum, sicut Angelus dicenti venerandae Virgini, quum de gloria sobole futura cognosceret: *Quomodo fiet istud, quia virum non cognosco?* respondit: *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi; propterea, quod ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei.*<sup>1</sup> Et *ex te nascetur* ait, ut proprietatem de matre sumendam nostrae conditionis exprimeret; et *sanctum*, quoniam sine contagione carnalis concupiscentiae gigneretur; et *vocabitur Filius Dei*, ut simul humanae divinaeque naturae haec conceptione, sicut dictum est, mirabiliter uniendum proderet sacramentum, secundum quod scriptum: *Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis.*<sup>2</sup> Malens Spiritus Dei dicere, *Verbum carnem factum*, quum in carnem Verbum non fuerit omnino conversum, dummodo principalis unionis naturaliter in eodem divinitatis humanitatisque significaret pressius veritatem; quum scilicet appareret ipsum Verbum, in utero matris Virginis operans, ex eadem susceptae sibimet tuendae substantiae foecunditatis illius excitasse conceptum.

PLS  
III, 764

**1381** 10. [... in Christo] ipsa natura carnis exstitit deitate sublimis; quia et non aliunde divinitas, quam de utero Virginis matris incarnata processit, et caro non nisi in iisdem visceribus sancto Spiritu superveniente et Altissimi obumbrante virtute est unita deitati.

PLS  
III, 771

<sup>1</sup> Lc. I, 34, 35.

<sup>2</sup> Io. I, 14.

● PLS III, 767, 768, 775, 777, 778, 780, 782, 787.